

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione  
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1767**

**VD18 90118286**

§. 124. Accusationum capita adversus Hussum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

electionem confirmavit: ex qua discor-  
**Sæcul. XV.**  
dia satis diuturnum exortum est bellum, A.C. 1414.  
quod non aliter extinctum fuit, quam  
Guilielmi promisso, se Paderbornensi E-  
piscopatui, atque Archiepiscopatui cessu-  
rum, suique æmuli neptem uxorem sibi  
juncturum; hoc demum facto possessio  
intacta Theodorico permanxit.

### §. CXXIV.

#### *Accusationum capita adversus Hufsum.*

Interea contra Joannem Hufsum caussa  
judiciaria Constantiæ mota est, ejusque  
accusatores libellum supplicem Pontifici  
exhibit, in quo adversus eum deferunt,  
quod publice docuerit. I. Populo S. Eu-  
charistiam sub utraque specie esse mi-  
nistrandam. II. In Sacramento Altaris  
post consecrationem remanere panem.  
III. Sacerdotes in statu peccati mortalis  
constitutos Sacraenta administrandi po-  
testatem amittere, econtra vero quem-  
libet in statu gratiæ positum ea ministra-  
re posse. IV. nomine Ecclesiæ non intel-  
ligi Papam, vel Clerum; Ecclesiam bo-  
norum temporalium dominium habere  
non posse; & Dominos temporales pro  
suo arbitrio ea auferre valere. V. Con-  
stantinum, aliasque Principes errasse,  
quod Ecclesiam dotassent. VI. Omnes  
Sacerdotes potestate æquales esse, proin-

C c 4      ordina-

Sæcul. XV.  
A.C. 1414.

ordinationes, & casus Papæ vel Episcopis reservatos nil nisi eorum ambitionis esse effectus. VII. Ecclesiam, quando Papa, Cardinales, Episcopi, totusque Clerus in peccato mortali constituti forent, potestate clavium destitui. Tandem VIII postulabatur de contemptu excommunicationis, eo quod toto sui itineris tempore omni die Sacrum celebrasset.

### §. CXXV.

#### *Commissarii ad instruenda judicium nominati.*

Vander  
Hardt tom.  
4. p. 22.  
oper. H. tom.  
in fol. 7.

**H**isce expositis designantur Commissarii, acta judicij contra accusatum instructuri. Id negotii datum est Patriarchæ Constantinopolitano, aliisque duobus Episcopis. Hi igitur testes audiunt, iurandum recipiunt, eorumque testimonia conscribunt, atque illa ad Joannem Hassum in suo carcere infirmum deferrunt; Hic ad defensionem caussæ suæ Advocatum petiit, sed id fieri posse denegatum est, cum ex praescripto Canonum neque pro haeretico dicere, neque ejus caussæ patrocinium suscipere licet. Tribus hisce Commissariis ad percipendas testimonia depositiones nominatis adjuncti fuere plures alii, captivi hujus liberos examinaturi, nimirum, inter Cardinales